

Sacramenta, tanquam vana hominum figmenta, rejiciunt: atqui ad profigandam hanc impietatem, satis erat definire omnia Sacramenta, non ab hominibus, sed à Christo Domino instituta fuisse: utrum autem *immediatè*, an *mediatè* tantum, statuere nihil necesse erat, nec pronuntiatum est.

Sed quamvis sententia quæ afferit omnium Sacramentorum autorem immediatum esse Christum, fide catholicâ certa non sit: *Vix tamen*, inquit Juenin, *temeritatis notam effugeret, qui contrariam amplecteretur, neque enim aliquem Theologum reperire est, qui contrariam post Concilium Tridentinum defenderet.*

DISSERTATIO VII.

De Ministro Sacramentorum.

GRAVISSIMAM hanc quæstionem in duo capita dividimus; in primo, quis sit Sacramentorum Minister; in secundo, quæ conditiones Ministro necessariae sint, ut Sacramenta perficiat, exponemus.

CAPUT PRIMUM.

Quis sit Minister Sacramentorum.

DUPLIX distingui solet Sacramentorum Minister *ordinarius* scilicet qui proprio munere, vique dignitatis suæ, & communi ex lege Sacramenta administrat, ut cum Sacerdos Baptismum confert;

extraordinarius qui propter vel singulare Dei privilegium, vel Ordinarii delegationem, vel denique ejus absentiam, Sacramentum conficit: sic permittente Superiore Diaconus solemnî ritu; sic Laicus, absentibus Ministris, Baptismum, ubi necessitas urget, dare potest.

Lutherus Sacramenta administrandi potestatem cuilibet Christiano à Baptismate inditam esse contendit. Illius autem potestatis usum, & sacri ministerii functiones, nefas esse quemquam sibi arrogare docet, nisi legitimè vocatus fuerit. Sacerdos, inquit, in Novo præsertim Testamento, non fit, sed nascitur... nascitur vero... in lavacro regenerationis, suntque prorsus omnes Christiani sacerdotes. (Lib. ad Pragenses, tom. 2. pag. 365. Edit. Wittenberg. an. 1551.) Quinimo pueris & mulierculis Sacramenta ministrandi potestatem tribuit: hanc enim ejusdem propositionem damnavit Leo X: *Ubi non est Sacerdos, æquè potest quilibet Christianus Sacramenta administrare, etiam si mulier aut puer esset.* (Tom. 14. Concil. pag. 392.) Juxta doctrinam autem Catholicam, excepto Baptismate, cum urget necessitas, ille solus est idoneus Sacramentorum Minister, qui per legitimam Ordinationem ea conferendi potestatem accepit. Sit itaque

PROPOSITIO.

Homo quilibet Christianus non est ordinarius Sacramentorum Minister.

Prob. 1º. ex Scriptura: Ipse (Christus) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii. (Eph. 4. v. 11. 12.) Docet itaque Apostolus multiplex in Ecclesia institutum esse à Christo officium & ministerium, nec omnia omnibus convenire, sed diversa diversis, secundum mensuram donationis Christi. Quod ibidem illustrat

comparatione membrorum corporis humani, quorum variae ac distinctae sunt functiones, quae ad servandam totius corporis harmoniam suo quaque modo conspirant: atqui in Ecclesiasticis ministeriis praecipuum locum tenet Sacramentorum administratio; ergo non omnibus promiscue convenit, sed iis tantum qui sunt in Ecclesia rite Ordinati.

Prob. 2^o. Ratione. In qualibet Republica & societate bene instituta, ii soli officiorum quae maximi sunt momenti gerendorum potestatem habent, qui eam à Principe, vel Legislatore per specialem delectum acceperunt: atqui Respublica Christiana, procul dubio bene est instituta, cum in Christo Domino Principem & Legislatorem sapientissimum habeat; Sacramentorum autem administratio gravissimi est momenti; ergo ipsius exercendae potestas non omnibus competit, sed iis solis quibus à Christo per specialem consecrationem data est; excepto tamen Baptismate, quod Deus voluit à quolibet homine, cum adest necessitas, administrari.

Probandae huic veritati non immoramur diutius, quia suum posse à singulis Sacramentis Ministrum assignabimus. Hoc unum adjiciemus, nempe Concilium Tridentinum ita pronuntiare: *Si quis dixerit Christianos omnes... in omnibus Sacramentis habere potestatem, anathema sit.* (Sess. 7. de Sacram. in gen. Can. 10.)

Dices: Omnes sine ullo discrimine fideles à S. Petro vocantur, genus electum, regale Sacerdotium. (1. Petr. 2. 9.) Fecisti nos, Deo nostro Regnum & Sacerdotes. (Apoc. 5. 10.) Unde sic argumentatur Lutherus; Quilibet Sacerdos veram habet Sacramenta administrandi potentiam: atqui fideles omnes, ex Scriptura, sunt Sacerdotes; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Quilibet verus & proprie dictus Sacerdos, &c. conc. maj. improprie & metaphorice dictus, neg. maj.

Porro S. Petrus verum proprieque dictum Sacerdotium singulis fidelibus non attribuit; sed eos metaphorice tantum, & sensu quodam mystico *Sacerdotes* appellat; quia scilicet Christiani cujuscumque corpus & anima, quoddam veluti Numinis sacrum esse debent, in quo spirituales hostias, nempe bona opera, laudes, precesque Deo offerant. Non aliam esse sibi mentem significat S. Petrus, dum ibidem fideles sic alloquitur: *Ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.* (1. Petr. 2. 5.)

Et vero Christiani eo ipso modo *Sacerdotes* vocantur, quo & *Reges* dicuntur: atqui *Reges* proprie non appellantur, sed per metaphoram tantum; eo nimirum sensu, quod ad Regni coelestis hereditatem vocati sint; & debeant pravis cupiditatibus dominari; ergo pariter metaphorice tantum *Sacerdotes* dicuntur.

C A P U T I I.

De conditionibus in Ministro requisitis, ut Sacramenta valide perficiat.

ALIUD est quærere quid Ministro opus sit, ut Sacramenta licite perficiat, & aliud quærere quid in eo sit necessarium, ut ea valide celebret: fieri enim potest ut aliquis valide, & tamen illicite, nec citra grande scelus Sacramentum perficiat.

Hic tria potissimum in controversiam adducuntur. Primum, quamnam esse debeat Ministri intentio, ut Sacramentum valide celebret. Secundum; an requiratur sanctitas, ita ut nullum sit Sacra-